





F. 4. num. 4.

22
DISSERTATIO INAUGVRALIS
DE
IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS
EX
FEVDORVM OBLATIONE
DESCENDENTIBVS.

1770 7

P. 328

QVAM
PRAESIDE
DANIELE NETTELBLADT
POTENTISSIMI BORVISSORVM REGIS CONSILIARIO INTIMO,
ET IVRIVM IN FRIDERICIANA PROF. PVBLICO
ORDINARIO.
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
ET
PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS
IMPETRANDIS.

D. X. SEPTEMBRIS MDCCLXX.

PVBlicAE ERVDITORVM DISQVVSITIONI SVBMITTIT
AVCTOR ET RESPONDENS


IVSTVS CHRISTOPHORVS BOEHMER
HALENSIS.



HALAE MAGDEBVRGICAE
EX OFFICINA GEBAVERIAN



ILLI DISCRETARIO ANNOUATARIO E E E M
P H I L I P P O I O S E P H O
D E L A R I G E S
P O T E N T I S S I M I R E G I S C A N C E L L A R I O
I N T E R I O R I S A D M I N I S T R O
C O L L E G I O R U M G R A E C I A E I N S I M I L I T E R A S I D I
D A M I E L E N T I N I S T R A T
P O T E N T I S S I M I R E G I S C O N S I L I A R I O P R I M O
P L E N I S S I M O A T Q V E E X C E L L E N
T I S S I M O D O M I N O
P R O S V M I S I N A D M I N I S T R O H O N O R I B U S
C A R O L O I O S E P H O
M A X I M I L I A N O
L I B E R O B A R O N I
D E
F U R S T E T K A P F E R B E R G
P O T E N T I S S I M I R E G I S S T A T U S A D M I
P R A E S I D I S V M M I T R I B U S A L I E
R E R U M F E U D A L I U M D I R E C T O R I A C A D E M I A R U M Q V A E R E G I A
E X O F F I C I O E V M C R A T O R E



ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLEN-
TISSIMO DOMINO
DOMINO

PHILIPPO IOSEPHO
DE
IARIGES

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS CANCELLARIO
SVPREMO
INTIMO STATVS ADMINISTRO
COLLEGIORVM, QVAE IVS REDDVNT, OMNIVM, PRAESIDI
SVMMO
MEMBRO REGIAE SCIENTIARVM ACADEMIAE

VT ET

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLEN-
TISSIMO DOMINO
DOMINO
CAROLO IOSEPHO
MAXIMILIANO
LIBERO BARONI

DE
FVRST ET KVPFERBERG

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS STATVS ADMI-
NISTRO INTIMO
PRAESIDI SVMMI TRIBVNALIS
RERVM FEVDALIVM DIRECTORI ACADEMIARVMQVE REGIA-
RVM CVRATORI



DOMINIS SVIS GRATIOSISSIMIS
HOC QVALECVNQUE DE CLIENTELIS OBLATIS
SPECIMEN

IN PERPETVAE REVERENTIAE CERTISSIMVM PIGNVS
VENERABVNDVS

CONSECRAT

SEQVE SIMVL IN MAECENATVM INDVLGENTISSIMORVM
CLIENTELAM CONFERT

TANTORVM SANCTORVMQVE NOMINVM

AT ET

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLEN
DE NATVSSIMO DOMINO
DOMINO

CAROLO JOSEPHO
MAXIMILIANO
LIBERO BARONI

FÜRST ET KAPITZBERG

CVLTOR OBSEQVENTISSIMVS

IYSTVS CHRISTOPHORVS BOEHMER.



DE
IVRIBVS ET OBLIGATIONI-
BVS EX FEVDORVM OBLATIONE
DESCENDENTIBVS.

CAPVT I.
DE NATVRA OBLATIONIS IN FEV-
DVM IN GENERE.

§. I.

ACTVS OBLATIONIS IN FEVDVM ET INFEV-
DATIONIS.



*S*i *allodium* alteri non nisi hac lege traditur, vt
sibi ab ipso infeudetur, oritur inde *feudum*
oblatum, quod est *feudum a domino in re*
sibi in feudum oblata constitutum. In hoc
constituendo duos actus occurrere palam est,
actum oblationis in feudum, quo res alteri sub dicta lege traditur,
A et

et actum infeudationis, quo in re oblata constituitur feudum. Licet ergo recte dici possit feudum praeuia oblatione concedi; idem tamen per oblationem non constituitur, id quod fit eius infeudatione, qua dominium utile allodii oblato offerenti sub nexu fidelitatis conceditur.

§. II.

VTERQUE OLIM ETIAM INTVITV TEMPORIS
SEIVNCTVS.

Diuerso tempore olim actus oblationis et infeudationis peragebatur, ita, vt, si quis allodium in feudum offerret, praeterlapso anni atque diei spatio cum bonis oblatis infeudaretur ^{a)}. Ratio huius consuetudinis in dispositione iuris prouincialis Saxonici continetur ^{b)}, quae successu temporis in desuetudinem abiit,

^{a)} Sic in charta de ao. 1197 apud I. P. de LVDEWIG in reliquis MSc. med. aevi Tom. XI. p. 605. Otto et Albertus Marchiam Brandenburgensem in feudum obtulerant Archiepiscopo Magdeburgensi, repromittenti quod bonu eadem, quaecumque iidem fratres praefatae ecclesiae contulerant, transacto anno et sex hebdomadis a tempore collationis concederent in feudo, et eis restituerent omnia. Exhibet IOACHIMVS MVLLE RVS in dem neuendecktem Staats-Cabinet, in der dritten Eröffnung Cap. 2. p. 39 vsque 50 varia adhuc diplomata, quae actum oblationis et actum infeudationis anni et diei spatio olim seivnctum sistunt. Haec strictim recensere iuuabit verbis IO. DAN. GRVBERTI, qui eadem exhibet in Originibus Guelphicis tom IV. p. 51. Anno 1323. Fredericus Dynasta Strausfurtenensis, fatetur se arcem suam Turode cum pertinentiis, suam scilicet proprietatem, Balthasaro Thuringiae Landgrauio obtulisse, ab eo

que, cum eam annum et diem potenter et sine cuiusquam imperitione tenuisset, recepisse in feudo. Ao. 1395. Otto et Hermannus fratres, Comites Orlamundani, notum faciunt, quod eidem Landgrauio allodia sua, quae nominantur, obtulerint, eaque, postquam Landgrauus ea diem et annum, vt iura requirunt, sine impetitione possederat, ab eo receperint in feudum. Ao. 1398 Albertus Comes de Kirchberg idem fatetur de arce superiore Cranichfeld, quam Balthasar Landgrauus sibi oblato per annum et diem possederit, reddiditque tanquam feudum.

^{b)} Ius Prouinc. Saxon. Lib. I. art. 34. Schwelch man sin güt gibe und daz wider zu lene entpfet deme herren hilfet die gabe nicht her en behalde dar Gut in sinen ledeleichen geweren iar und tac. sint mac erz jenene sicherlichen wider lichen. so daz her noch oben sin erbe nichem eigen daran bereden en mag.

abiit ^e), adeo et *actus oblationis et infeudationis vno eodemque tempore breui manus traditione perfici coepit* ^d).

§. III.

CAUSAE OBLATIONVM.

Motiva quibus ducti possessores bona sua aliis in feudum obtulerunt, *causae oblationum* dicuntur. Sunt haec vel *generales* ^e), quae plurimarum oblationum sunt communes, repetitae potissimum a statu medii aevi turbulento, et ab opinione seculi, seu operis meritorii opinione ^f), vel *speciales*, seu certis oblationibus propriae ^g), veluti si *pro redemptione ex captiuitate facta est oblatio*. Nec haec praetermittendae, cum ipsae contineant nonnunquam *rationem iurium et obligationum, feuda oblata concernentium*, siquidem in *spontanea oblatione*, cuius etiam in diplomatibus expresse fit mentio ^h),

A 2

salua

e) De non vsu *Iur. Prouinc. Saxonici* cit. loco ipse BERGERVS testatur *Elect. discept. furenf. Tit. XL. p. 1246.* Docte interpretator *Iur. Prouinc. Saxon. cit. articulum BVRI in der Erläuterung des Lehn-Rechts* p. 330. sub Num. 4.

d) Id quod probant tam *litterae feudi reuerfales*, quam *litterae inuestiturae, oblationem et infeudationem eodem tempore peractam* recensentes, nulla amplius anni et diei facta mentione. Sic Iohannes de Limpurg in charta de Ao. 1310. *decem marcarum redditus, quos in villa Meynsfeld habuit, ad manus Archiepiscopi libere resignasse, et eos in feudum ab ipso recepisse* profitetur. Exstant dictae litterae apud Dom. de GVDENVS *Cod. Diplom. Tom. III. p. 64.*

e) SCHANNAT *client. Fuldensi* p. 13 *feuda oblata Fuldensia vel soli pietate, vel timore, aut seruili reuerentia,*

vel lucri seu praemii spe, vel denique rationis fiducia nata esse recenset.

f) Causas oblationum HERTIVS *diff. de feudis oblati* §. 4-9 illustravit, nec non BEAT. IVSTVS HENNIGVS BOEHMERVS, auus venerandus, in *diff. de feudis ecclesiasticis C. I.*

g) Nonnullas recenset HERTIVS *diff. de feudis oblati* §. 10-14., et testimonio firmiter.

h) Sub verbis *sponte resignanti, non coactus, nec aliqua necessitate compulsus, bona mea voluntate, ex affectione speciali resignanti*. Sic in oblatione oppidi et munimenti Valkenov in feudum sub pacto successione hereditariae et femineae ac liberae alienationis facta 1539 verba occurrunt: *Ad omnium noxtiam volo peruenire quod non coactus, vel aliqua necessitate compulsus, sed ex spontanea et bona mea voluntate, ac ex affectione speciali, quam ad — habeo, bona omnia*

salua erat facultas legem oblationi dicendi ⁱ⁾, quae in coacta adempta praesumitur ^{h)}.

§. IV.

OBIECTUM OBLATIONIS IN FEVDVM.

Quando *allodium in feudum offerri* dicimus, hoc nomine designamus bona non feudalia, seu quae in nexu feudali non sunt ^{l)}; Complectitur *allodium* in hoc sensu generaliter tum bona auita, seu *allodia in specie sic dicta*, tum bona acquisita ^{m)}; illa etiam vulgo *Stamm- Geschlechts- Güter* dicuntur ⁿ⁾, quae in eo cum feudis conueniunt, quod in iisdem masculi tantum perinde ut in feudis succedant, quod alienari nequeant, alienata vero retrahi possunt; etiam si ideo cum feudis non sint confundenda, propterea quod eorum dominium diuisum haud fit in *directum* et *utile*, nec sub *mutuae fidelitatis* promissione conferantur, ideoque *essentialia* feudorum deficiant.

§. V.

omnia mea in ipsius resignando manus, ea ab ipso recepi et recipio in manus. Exstat diploma apud PETRVM de LVDEWIG in reliq. MSct. Tom. VI. p. 34 et 35. In litteris reuersalibus, quibus recensetur oblatio plurium locorum in feudum regi Bohemiae facta, vna cum ritu cessionis et acceptationis a nouo domino, atque redditionis ac susceptionis a nouo vasallo, saluo iure dotalitii vxoris de ao. 1327. apud IO. PETRVM de LVDEWIG cit. loco Tom. VI. lib. I. §. 38. profitentur ipsi vasalli: — recognoscimus et fatemur nos natura de liberatione praehabita de bonis nostris infra scriptis videlicet — factos esse feudales, et vasallos, et eorum resignationes in suis sponte facta manibus, ea ab ipso pro nobis in feudum recepisse.

ⁱ⁾ e. g. Ut feminae succedant, nec

feuda extincto stemmate masculino domino aperiantur.

^{h)} Prouoco ad tales *allodiorum in feudum oblationes* quae quibusdam in poenam impositae fuerunt. Cuius rei exempla exhibet HOFFMANNVS in *diss. de feudis poenae* §. 7-13.

^{l)} Varium quidem *allodium* habet significatum, sed *generali* utimur in doctrinis feudilibus, si de separatione feudi ab allodio, de heredibus allodialibus sermo est, cumque seruamus, si de *allodis in feudum oblati* quaeritur, cum comprehendat *speciales* significatus.

^{m)} II. F. 26. §. 1. I. F. 43, 44, 45.

ⁿ⁾ Naturam honorum auitorum et acquisitorum sic distinguit GEORGIVS LVDOVICVS BOEHMER, patruus ad cineres mihi vsque colendus, in *prin-*
iur.

§. V.

MODVS CONSTITVENDI FEVDA OBLATA.

Oblatio in feudum eiusque constitutio vel indefinite fit, cum nihil definitur circa iura et obligationes, quae feudum oblatum concernunt, vel definite, cum haec conuentione definiuntur, cuiusmodi conuentionem *legem oblationis* dicere iuuat. Haec continet speciale fundamentum iurium et obligationum circa feudum oblatum, perque illam naturalibus feudorum aliquid addi vel detrabi potest^o). Si vero indefinite facta est oblatio in feudum, eiusque constitutio: naturalia feudorum tacite contrahentibus placuisse praesumuntur^p).

§. VI.

LEX OBLATIONIS GENERALIS ET SPECIALIS.

Lex oblationis vel generalis est, qua norma generalis definitur iurium et obligationum circa feudum oblatum^q), vel specialis, qua iura ipsa et obligationes circa feudum oblatum definiuntur. Placuit frequenter *ius curiae feudalis nominatim adoptare* tamquam *normam iurium circa feudum oblatum*, quae *lex oblationis generalis* est^r).

A 3

CAPVT

iur. feud. §. 41. quod illa iure successio- nis specialis, obseruantia pactisque defini- ta, non nisi his deferuntur, qui sunt in familia; haec vero alia ratione quam vi specialis iuris succedendi in familia ac- quisita sunt.

o) I. F. 2. §. 2. Si aliquis tenor prae- ter communem feudi rationem in im- stituta dicatur interuuisse. II. F. 12. pr. Nisi facta fuerit eo pacto inuestitu- ra. II. F. 18. pr. I. F. 20

p) II. F. 2. §. 3. Si vasallus per pactum speciale contra feudi consuetudinem alle- gat, veluti de filiarum successione liceat ei tenorem, si potest, sicuti inuestituram probare.

q) Huc spectant formulae infeuda- tionis feudorum oblatorum: Als fuidi- sches Lehn-Herkommen Recht und Gewohnheit ist. Nach Mann-Lehn Rechr. Nach Burg-Leben Herkommen und Rechr. Alles nach fulaischen Leben Herkommen und Rechten. Zu rechten Mann-Leben. Nach fuidischer Le- hen Gewohnheit und Herkommen. Nach Brunekischen Leben et quae sunt aliae, quas illustrent SCHANNAT client. Fuld. p. 7. et KOPPIVS in den Pro- ben des teutschen Leben-Rechtes p. 33-56.

r) Vti constat aus dem Riedelselischen Burg-Leben Revers de ao. 1420. sub ver-

CAPVT II.

DE IVRIBVS GENVINIS ET SPVRIIS
EX FEVDORVM OBLATIONE DE-
SCENDENTIBVS.

§. I.

QVAENAM ADSVNT FVNDAMENTA IVRIVM FEV-
DORVM OBLATORVM.

Exposui *indolem oblationis in feudum*, vt eo certius constituere liceat principia, ex quibus *iura et obligationes circa feuda oblata* sunt aestimanda. Repeto haec tum ex natura *infeudationis*, vi *oblationis in feudum factae*, tum ex *iure curiae feudalis*, quod per *legem oblationis generalem expresse vel tacite agnouisse offerens* censetur, tum ex *lege oblationis speciali*, qua *iura specialia* intuitu feudi oblari definiuntur. Secundum hoc triplex fundamentum *iura feudorum oblatorum* triplicis generis sunt, *iura communia*, *iura particularia*, *iura specialia*, quae exponere, et expensis obiectionibus, ad *specialia iura* progredi, propositum est.

§. II.

verbis: und han sie darin gesetzt mit Gerichte als derselben Gerichthes Rechte und Gewohnheit ist. KOPPIVS de insigni differentia p. 389. In litteris reuersalibus quibus Comites Solmenses castrum proprium Hohensolms feudum oblatum declarant ao. 1323. promittunt — quod nos fidele nostrum seruicium cum quatuor galeatis viris et alias secundum consuetudinem patrie equis et armis legaliter expeditis electo tenemur impendere. de GVDENVS Cod. Dipl. T.

III. p. 205. Litterae Henrici de Erenberg de bonis ecclesiae Treuirensi oblatis receptisque in feudum ao 1327 continent hanc legem oblationis generalem sub verbis: — et quod eadem bona ab eodem recepi, et recipio, ac me recepisse recognosco in feudum cum onere, fidelitate, iuramentis et seruiciis in talibus feodis debitis de consuetudine et de iure. de GVDENVS Cod. Dipl. Tom. II. p. 1033. et 1034.

§. II.

INFEVDATIO VI OBLATIONIS FACTA EST SPECIES
INFEVDATIONIS.

Si spectemus *infeudationem, vi oblationis in feudum factam*, huic insunt omnia, quae *infeudationi in genere* insunt. In ipsa videlicet *oblatione in feudum* quae viam praeparat *infeudationi*, res oblata sub lege et conditione *infeudationis domini* facta esse censetur, siue *traditio vera*, siue *ficta* interuenerit. In *oblatione reali*, quae sub *origine oblatorum feudorum* vigeat, id ne in dubium quidem vocari potuit, cum dominus *allodium* sibi *oblatum* per annum et diem possideret, antequam id *offerenti* largiretur in feudum. Nec aliter se res habet in *oblatione verbis facta*, qua

s) In charta de ao. 1397. Otto et Hermannus Comites Orlamundani profitentur, se *allodia* sua Balthasaro Thuringiae Landgrauio oblata, cum is ea annum et diem possidisset, recepisse in feudum. APVD MVLLERVM in entd. Staats Cab. P. III. c. 2. p. 41. Unde der egerante unser gnediger Herre Balthasar Langgrau zu Doringen und Mareckgrau zu Missin und seiner Erbin haben auch die vghenantin Schloße — mit allen yren Zugehörigin alzu obgeschriben stad. darnach alke wir en das alzo usgegeben und zugeantworet haben über Jar und Tag, und alke lange sy das bedürfn in dem Rechtin ane rechte Ansprache yme gebabt haben, und darnach uns vorgeantzin Grauen Otten von Orlamünde und unserm Lebens-Erbin auch die mydr von ym und sin Erbin zu rechten Leben empfangin haben und uns danere onder sy vorantzet haben, dy Gut von ym zu seztene, gebruchin und haben als Lebens-Gutis Rechte und Gewanheit ist. Seculo XV adhuc occurrit illustre

exemplum, quo Henricus, Comes Schwartzburgensis, Castrum Almenhusen more veteri, quo per annum et diem domino relinquere solebat possessio, in feudum obtulit ecclesiae Fuldensi. Litteras reversales Henrici comitis exhibet SCHANNAT in Clientela Fuldensi in Cod. prob. N. CXXII. Haben wir Almenhusen unser Schloß und Dorff das unser fry eygen ist mit wolbedachtin Mute. und guten Rate unser Frinde und lieben Getruwen, zu rechtin Leben empfangen von dem vorgeantzen unserm Gnedigen Herren von Fulde und syme Stichte, und empfaen das in Crafft desz Briene zu eyne rechtin Fuldischein Leben. als Recht und Gewanheit ist, und haben dasselbe unser Schloß und Dorff Almenhusen usgegeben und usgelassin an dem Landge, richte des Stuls zu Winkel und des geantworr, in des vorgeantzen unsern Herren von Fulde und siner Stichtes rechte Gewelere als sinz eygen Gutis. Recht, und Gewanheit ist, und sollen und wollen eme des genantzin Schloßis und Dorfes eyne rechte

qua *allodium* mutua voluntate domini et vassalli traditum habetur interueniente *brevi manu traditione*: idque exprimentur *oblationum* formulae, quae *resignationis in manus domini factae et receptionis ab eodem mentionem faciunt*, vt in formula §. 2. exposita, vcl quibus *allodium oblatum in domini potestatem redactum esse dicitur*, vt de eo tamquam de proprio disponeret *). Quae ergo *oblationem* insequitur *inuestitura*, ab inuestiente, tamquam a domino, facta esse intelligitur, qua retento dominio directo *allodii* sibi *oblato*, vtile eiusdem dominium offerenti concedit sub nexu fidelitatis. Hoc sensu *resignatam in manus domini proprietatem iure feudi se recepisse* profitentur vassalli **).

§. III.

rechte Gewere sy Jar und Tag an ydermanden Ansproche als recht und gewinlich ist; und hat der vorgevant unser Herre von Fulde uns und unsern Erbin mit donselbin Schloss und Dorff und mit unserm Dorff Abteibissingen und mit allen andern Gutern die wir von Rechte von eyne und syne Stichte zu Fulde zu Leben haben sollen, als das sin Lebenebrife us wiset, und soltu und wollen die vorgevante Leben von eme, und syne Stichte entphaen als digke des Not thud.

*) Talis est formula, qua Fridericus II. in diplomate de ao. 1235. castrum Lunenburg cum terris annexis sibi et imperio ab Ottone Puero oblatum esse dicit: vt de eo quidquid sibi placeret tamquam de proprio faceret. Vid. Orig. Guelf. Tom. IV. p. 49. Stilo curiae adhibita est eiusmodi formula, ad designandum *infeudationem* perinde esse habendum ac si peracta esset *oblatione in feudum*.

**) Vim et rationem *oblationis* et *factae infeudationis* egregie describit documentum ab utroque domino et vassallo propositum de ao. 1309. in N. I. C.

ab HONTHEIM *histor. Treuir. Diplom. tom. II. p. 37* quo primo declarat Henricus de Helfenstein miles, et Maachtildis eius vxor castrum nostrum de Sporkenberg et villam que vocatur Dentzenroide Baldewino Treuiorum Archiepiscopo suo, successorum suorum et ecclesie Treuirensis nomine stipulanti — *conferimus, donamus, cedimus per presentes omne ius, dominium et proprietatem, quod, vel que, nobis et nostris heredibus in dictis castro villa, seu appendiciis et bonis prediis competit, competit, vel competere potest in futurum, aut poterit quoquo modo in ipsum dominum Archiepiscopum suosque successores Archiepiscopos ac ecclesiam Treuirensis simpliciter et libere, ac ex certa scientia, nihil iuris sine consuetudinis reuocantes in eisdem transferendo, facientes ex nunc ipsum dominum Archiepiscopum Treuirensis ad opus ecclesiae Treuirensis per traditionem presentem verum et legitimum castri, ville, et honorum prediicorum prout melius fieri potest et debet possessorem, et promittimus de evictione eorumdem guarandiam praestare debitam*

et

§. III.

PRAESUMTIONES INDE FLVENTES.

Quae ergo ex infeudatione secundum *ius feudale commune* et secundum *ius particulare curiae feudalis* descendunt iura et obligationes circa feudum; in *infeudatione, vi oblationis* facta, in *feudo oblato constituto* esse praesumuntur, quoad aliud non est conuentum. Neque enim dominus, si nihil aliud actum est, feudum alia lege contulisse praesumitur, quam secundum *ius feudale commune*, et secundum *suae curiae legem*, qua iura et obligationes circa feuda *eiusdem curiae* definiuntur, cui omnes vasalli prouinciales tanto magis addicti sunt, cum et subsint iurisdictioni domini directi, quae ex more Germanorum in curia exercetur. Vasallum vero, seu *offerentem bona allodialia* in feudum eadem lege suscepisse ideo dubium non est, cum sibi nihil aliud stipulatus sit. Etiam si itaque *indefinite* facta sit *allodii oblati infeudatio*, *tacito et mutuo consensu ius feudale commune et ius curiae placuisse* censetur. Ea enim consensus in negotio generatim inter-

ter-

et consuetam. Iam sequitur, *vi oblationis* facta, *infeudatio*. Nos autem Baldeuinus — — castrum et villam eidem Henrico suisque successoribus primogenitis concessimus et concedimus in feudum, tenenda et possidenda a nobis et ecclesia Treuirensi nostrisque successoribus in perpetuum — — Tandem profiteretur Henricus se praedicta in feudum recepisse: Ego vero Henricus praedictus recognoscens omnia et singula esse vera, dictum castrum, villam, cum appendiciis et bonis sepeditis ab ipso domino Treuirensi meo successorumque meorum nomine recepi in feudum, et eidem domino Archiepiscopo fidelitatem prestari. Vterque actus in oblatione quae verbis fiebat euidenter distinguitur in documento de

ao. 1278. apud DN. DE HONTHEIM l. c. Tom. I. p. 808. 809; quo Wilhelmus de Lapide ex mandato speciali Henrici Treuirorum Archiepiscopi castrum Henzenberg a Nobilibus Wilhelmo et Ioanne fratribus tanquam eorum verum allodium recepisse declarat, cum resignatione clauium et turris, illidem adhibitis iuribus et consuetudinibus aliis debitis et consuetis: quibus verbis se refert ad vetulum morem *traditionis*, quam interuenientibus symbolis profecta habet. Addit: Quo facto, dictum castrum eidem fratribus reddidi et recommiti eidem et eorum heredibus, iure feudali perpetuo possidendam, sicut receperam in mandatis.

B

terpositi ratio, vt non in ipsum modo negotium, verum etiam in omnia quae potestate negotii intelliguntur, datus esse censeatur *). Ex quibus intelligitur *infeudationem, vi oblationis in feudum factam*, sua natura, et quoad nihil aliud placuit, non continere rationem diversorum iurium inter feuda *data et oblata*: cum *oblatio* viam tantum praeparet *infeudationi*, per eamque *alodium oblatum* in potestatem domini conferatur, ab eodem nexu feudali recipiendum.

§. IV.

QVAE FREQUENTER IN LITTERIS INVESTITURAE
EXPRESSE DEFINIUNTUR.

Quae ex natura *infeudationis, vi oblationis factae*, exposui feudis *indefinite* concessis, eadem non minus frequenter *expresse* definita sunt *litteris investiturae*, quibus *ius commune, feudorum consuetudines*, et *iura curiae feudalis* pro norma iurium circa *feuda oblata* adoptantur. Sic Comites Orlamundani in formula §. II. proposita castrum oblatum in feudum se recepisse profitentur: *Wie Lebens-Gutis-Recht und Gewonheit ist*. Fridericus Comes Siluester in *litteris reuersalibus* de ao. 1318. bona sua *vere allodialia* et in manus Balduini Archiepiscopi Treuirensis resignata, ab eodem sibi reddita recepisse agnoscit *iure feodi cum onere et seruitiis, quae iura feoda de consuetudine postulant et de iure* *). Huc pertinent formulae *vt moris est* *), als *Mannen - Lehn - Recht ist*, similesque formulae, quibus *iura curiarum feudalium* agnita esse supra monui *). *Legem oblationis generalem* vocavi eiusmodi pactio-

*) L. II. ff. de act. emt.

*) DN. de HONTHEIM l. c. Tom. II. p. 97.

*) Vt in litteris reuersalibus Theodorici de Indagine de ao. 1282, apud DN. de HONTHEIM Tom. I. p. 817.

*) Formularum copiam adduxit et ex moribus Belgicis illustravit IO. SAN-

DE in decision. Ossrif.: Sic Ioannes Lotharingiae et Brabantiae Dux, bonis Ioannem de Brunshorn, bonis ab eodem sibi oblatis, *iure Brabantino inuestit*. In charta de ao. 1333. in HENR. CHRIST. de SENCKENBERG *prim. lin. iur. feud.* in adiunct. N. XII. p. VI.

pactionem, qua adfiscitur *norma generalis iurium et obligationum circa feuda*. Equis in libera contrahentium voluntate positum esse negauerit, iura *curiae feudalis extraneae* recipere: cuiusmodi conuentio in *feudis extra curtem oblatis* facili negotio locum inuenire potuit ^{b)}.

§. V.

PRÆTER IVRA FEVDORVM OBLATORVM COMMVNIA ET PARTICVLARIA, DEPREHENDVNTVR ETIAM SPECIALIA NONNVNQVAM IN FEVDIS OBLATIS.

Praeter iura, quae iure feudali *communi et particulari* definiuntur, *feudis oblatis*, quoad eorum *constitutionem* spectamus, alia iura non insunt, quam quae *speciali conuentione* inter dominum et offerentem sunt definita. Constat enim, in *constituendo* feudo iura eiusdem vel ex *lege feudali*, vel ex *conuentione* repetenda esse, nec aliud eorum suppetere principium. Huiusmodi *conuentio*, quae in *constituendo* feudo interuenit, *tenor inuestiturae* ^{c)} dici solet, quam *legem oblationis specialem* vocamus. Quoniam *feuda oblata* ab *oblatione* originem ducunt, certe non defuit *offerenti facultas legem eidem dicendi*, eiusque agnitionem a *domino* impetrandi, cuius commoda ex *nouo vasallo* et ex *nouo feudo* augebantur. Sed eam propositam ab *offerente*, et comprobatam a *domino*, iure ponimus ex *natura conuentionis*, quae mutuum exigit consensum. Dum nihil *speciatim* conuentum est inter contrahentes, placuisse inter eos praesumuntur ea, quae feudo ex *iure communi* vel *particulari* insunt.

B 2

§. VI.

^{b)} Contigit difficiliter in *feudis datis*, ut conuentione *extranea curia* adoptaretur, et *ius curiae* negligeretur, quod tamquam ius vasallorum eiusdem curiae *commune* seruari intererat. Exstant tamen huius rei exempla in curia clientelari *Palatinatus*, in qua nonnulla

feuda secundum ius curiae Fuldenfis collata sunt. Vid. ESTOR *obs. von Charffältsischen Leben zu fuldtschen Rechr. Tom. I. der kleinern Schriften* p. 547. seqq.

^{c)} II. F. 2. §. 2. et 3.

§. VI.

QVAE ITAQVE IVRA INSUNT INFEVDATIONI VI
OBLATIONIS FACTAE.

Colligo ex his, quae hactenus deducta sunt, principiis, iura *feudorum oblatorum* non alia esse, quam vel *communia*, vel *particularia*, vel *specialia*. *Communia*, ex iure feudali *communi* descendunt, *particularia*, ex iure *curiae feudalis* resultant, *specialia*, ex *lege oblationis speciali* originem trahunt. Interuenit in iisdem applicandis ea ratio, ut semper *in feudis oblati* id primo loco sequamur, quod actum est inter dominum et vasallum, et si non apparet quid actum sit, ad id confugiamus, quod *in curia domini*, in qua actum est, frequentatur, *in subsidium* vero, id quod *iure communi* constitutum est, respiciamus. Valet in iisdem *ius commune feudale Longobardicum*, quod inter eadem tempora, quo frequentiores esse coeperunt *feudorum oblationes*, ipso usu receptum est per Germaniam ^{d)}, et quod vi generalis receptionis eandem tribuit normam *feudis oblati*, quam *feudis datis*, quousque *iure particulari curiae* eidem non derogatum esse apparet. Non obstat obiectio, qua nonnulli ^{e)} contendunt impugnare auctoritatem *iuris Longobardici in feudis oblati*, *iuri Longobardico* ignorari *feuda oblata*, nihil in illo de his disponi, nec id ideo his applicandum esse. Etiam si concedam, Longobardis in usu non fuisse hunc modum *allodia* commutandi in feudum: in hoc ipso tamen Ger-

d) Usus iuris Longobardici sec. XIV. iam talem fuisse constat, ut arbitri in sententiis ferendis ad illud prouocauerint, ut apparet ex docum. d. ad. 1321. Exstat diploma in G. L. BOEHMERI obseruat. iur. feud. obl. I. §. XIX. p. 62.

e) Negat BALTHASAR de incongrua iuris feudalis applicatione ad feuda Germaniae usum iuris feudalis Longobar-

dici in Germania, sed confandit vir celeberrimus iuris feudalis Longobardici instituta, et ius ipsum. Etiam si varia instituta, iuri Longobardico propria, in Germania recepta non sint, ius ipsum feudale Longobardicum tamen in Germania est receptum. Ceterum ad dissentientes refero KAYSER. de feud. sildens. THVMERMVT. in tr. Krummstab schlenst niemand aus p. 73. num. 64. et p. 76. num. 91.

Germanorum instituto nihil continetur, quod principiis iuris Longobardici aduersaretur, quin potius *infeudatio, vi oblationis* facta, celebrata est ad *analogiam infeudationis feudorum datorum*, cum *allodia* in dominium domini concedentis vel translata sint, vel translata esse fingerentur, quam priori possessori per *infeudationem* redderentur. Cum porro in iuris feudalis applicatione ne quidem de hoc modo conuertendi allodia in feudum, sed unice de feudis ita constitutis quaeratur, haec vero in ipsa *infeudatione* ad similitudinem *feudorum datorum* constituta sint, in *feudis oblatiis*, non minus *quam in datis*, in dubium vocari potest vsus iuris Longobardici, quod, siue receptum esse ponas post factam *oblationem*, ex ipsa receptione, quae sine discrimine *feudorum datorum oblatorumque* contigit, siue ante *oblationem* iam receptum fuisse sumas, ex natura *infeudationis, vi oblationis* factae, vim suam fortitur, cum iura, quibus negotium regitur, in eodem incundo placuisse praesumantur, quoad aliud placuisse non apparet.

§. VII.

IVRA FEVDORVM OBLATORVM GENVINA ET SPVRIA.

Si ergo ex *infeudatione*, praevia *oblatione* facta, alia iura peti nequeunt, nisi quae vel ex *iure communi*, vel ex *iure curiae*, vel ex *lege oblationis specialis* deducuntur; consequitur, in his solis *fontes* iurium et obligationum, quae in *feudis oblatiis* deprehenduntur, contineri. His principiis innixa iura et obligationes *genuina*, reliqua, quae iisdem non inniuntur, *spuria nomine feudorum oblatorum* iura.

§. VIII.

A FACVLTA TE OBLATIONI SVAE LEGEM DICENDI NON POTEST PETI PRINCIPIVM IVRIVM CIRCA FEVDA OBLATA.

Qui *feudis oblatiis* *specialem indolem* et *iura specialia* tribuenda esse contendunt, confugiunt ad *praesumptiones*, maxime ad

hanc, quod offerentes facultatem habuerint oblationi legem dicendi, et ideo ad lenissimas conditiones se obligare voluisse praesumantur, cum quilibet in dubio ad id quod minimum est se obligare voluisse censeatur ^f). Sed pertinet haec coniectura ad praesumptiones hominis, in eaque proponitur id, quod fieri potuerit pro rerum circumstantiis. Si recte sentiunt Philosophi, a posse ad esse non valere consequentiam: nec aliud iudicium formari potest de ista praesumptione, nec haec haberi pro principio iurium in feudis oblati constitutorum. Aut enim apparet, offerentes hac facultate visos esse, aut de eo nihil constat. Si prius ponimus, specialem legem oblationis adesse oportet, quae tunc legem constituit in feudo individuali oblato: sin fumimus nihil apparere; sola praesumptio de eo, quod fieri potuerit, nullius efficaciae est, cum constare debeat, aliud actum et conuentum esse, alioquin offerentes iuri feudali se subiecisse praesumantur. Sola itaque facultas, legem oblationi suae dicendi, et a naturalibus feudorum recedendi, est spurium principium in iuribus singularibus feudorum oblatorum generatim inde adstruendis.

§. IX.

NEC ALIVD OBTINET IN FEVDIS OBLATIS ECCLESIASTICIS.

Rationes, quas §. antecedenti exposui, valent tum ratione feudorum oblatorum secularium, tum ecclesiasticorum; siquidem praesumptio pro naturalibus feudorum generalis tam diu vim suam obti-

f) Eiusmodi praesumptione tamquam principio vitur AVGVSTINVS de BALTHASAR dissert. de origine feudorum in genere, praecipue oblatorum in Pomerania Sectione III. § XVII. dicit: Tandem aut differentiam ratione effectus inter feuda data et oblata quod attinet, illa omnino insignis est. Ex eo enim, quod iam demonstratum dedimus, in oblati offerenti competere facultatem

rei suae legem praescribendi, et hinc eundem ad lenissimas conditiones se adstringere voluisse praesumi, multa sequuntur consecutaria. In eadem opinione est THYMMERMVT, in tr. Krummstab schlenst niemand aus p. 73. num. 64. Befold Part. V. Confil. CCXII. num. 49. KAYSER. de feudis Fuldensibus §. II.

obtinere, donec contrarium vel ex *pactis*, vel ex *consuetudine* probatum fuerit. Sunt vero qui contrarium defendunt, prouocantes tum ad *speciales*, quae per pactum nonnullis feudis adiectae sunt, qualitates, tum ad *speciales*, quae in dictis feudis plerumque locum inueniunt, rationes, ad quas referunt partim oblationem, partim praelatorum in quascunque conditiones consensum, ac eorum regimen lenius, partim quod ecclesia seruitiis militaribus praestandis ordinario de omnibus feudis non indigeat: indeque generalem quamdam regulam seu consuetudinem, a iure communi recedentem, efformare student, ac secundum eandem reliqua feuda ecclesiastica esse diiudicanda arbitrantur, licet iisdem dictae qualitates pactitiae desint 8). Ex his vero paroemias: *Krummstab schein niemand aus, vt etiam mit St. Peter ist gut handeln, item unter dem Krummstab ist gut wohnen*, ortas esse asserunt. Addunt porro: praesumptionum collisionem in feudis ecclesiasticis occurrere, et praesumptionem pro regula, seu pro naturalibus feudorum, debiliorem esse praesumptione pro consuetudine, qua exceptio fundatur, propterea quod illa iure peregrino, a moribus Germaniae valde recedente, nitatur. Equidem non diffiteor, ab ista facilitate, optimas conditiones infeudationis a praelatis obtinendi, originem ducere *pacta varia specialia*, in oblatione feudorum ecclesiasticorum inita, et ex frequentia exemplorum natas esse non minus excitatas paroemias, quam particulares, quae in specialibus iuris articulis, sine discrimine feudorum datorum et oblatorum, vassallis fauent nonnullarum curiarum feudaliū ecclesiasticarum *consuetudines*. Enim vero exinde nec principium, ad naturam feudorum ecclesiae oblatorum generatim pertinens, repeti, nec inferri posse contendo *generalem*, ex qua feuda ecclesiastica aestimanda sunt, *consuetudinem*. Sunt enim singularum *aliodiorum in feuda oblationum* suae peculiāres rationes, in quarum singulis, quid actum conuentumque sit, ad *con-*
uentio-

g) THVMERMVT I. c. p. 73. n. 64. RESOLDVS P. V. *conf.* 212.
ESTOR in *analect. fuld.* §. 8. p. 30.

uentionem redit, quam sistunt litterae *inuestiturarum*. Itaque non quid in oblatione forte obtineri potuerit, sed quid petitur, impetratum conuentumque sit, respiciendum, et ex *litteris inuestiturae* iudicandum est. Quid ad *consuetudinem generalem* requiratur, et quam imbecille fundamentum illius a coniecturis petatur, non est, quod moneam. Certe inter tot diuersas curias feudales praelaturarum Germaniae, quarum singulae suas rationes habent, et inter tot *iura specialia*, quae in illis, sine discrimine *feudorum datorum et oblatorum*, obtinent, nullo colore asseri potest *generalis consuetudo ad feuda oblata* pertinens. Substitit ergo in *praesuntio generalis*, ex qua, quoad nihil aliud actum est, naturalia, siue *iure communi*, siue *iure particulari* determinata, placuisse praesumuntur.

§. X.

NEC A QUALITATE BONORVM ALLODIALIVM POTEST
PETI PRINCIPIVM IVRIVM CIRCA FEVDA
OBLATA.

Praeter hanc, quae ex facultate legem oblationi dicendi dicitur, praesumptionem, alia repeti solet a *qualitate allodiorum*, obiectum *feudorum oblatorum* constituentium, desumpta. Notum est, his *allodia* alia *liberiori dispositioni obnoxia*, alia *auita* fuisse et *stemmati* addicta: ex quo inferri posset praesumptio, offerentes de iuribus *allodiorum* conseruandis fuisse sollicitos, nec in *oblatione* quidquam egisse in praeciudicium eorum, quorum ex causa futurae successionis interesse poterat. Verum omnino est, in antiqua *qualitate allodiorum* contineri rationes tam *paetorum specialium*, quibus in *oblatione* vel *agnatis*, vel *feminis in subsidium* prospectum, et liberior de feudis disponendi facultas conseruata est, quam *consuetudinis curiarum feudaliu*, ad similia productae. Vbi vero nihil horum actum esse apparet, ex statu *allodiorum* antiquo *praesumptio* formari non potest, iura, quae cum nexu feudali pugnant, conseruata esse, cum offerentes *allodia* sua subiecerint iuri feudo-
rum

rum, et in naturalia feudorum consenserint, ideoque *praesumptiones*, negotio feudali eiusdemque naturalibus aduersantes, capi nequeant. Vnum moneo, ob ius *allodiorum* antiquum vltatam fuisse cautelam, quam *ius Prou. Sax. lib. I. art. 34.* suppeditat, *ut is, cui oblatio facta est, allodium ante infeudationem per annum et diem possideret, ut elapso anno et die oblatio aduersus impugnationes heredum subsisteret* ^{b)}). Etiam si is mos, ex quo *infeudatio feudi oblata traditione breui manu* peracta est, ab usu recesserit: ipsa tamen *oblatio allodii*, iusto tempore non impugnata, tacito eorum, quorum interest, consensu peracta esse praesumitur.

§. XI.

NATURALIA ET ACCIDENTALIA FEVDORVM OBLATORVM.

Cum *feuda oblata iure particulari curiae feudalis*, et in *subsidium*, iure feudali *communi* regantur: *naturalia feudorum oblato- rum* nihil aliud sunt, quam *qualitates eorum iure feudali particulari et communi determinatae* ^{c)}). Nec dubius haereo, determinaciones

^{b)} I. P. S. Lib. I. art. 34. *Wer sein Erbe wider zu Lehnem emphaecht, der soll es haben gedarbit Jar und Tag: Si quis proprietatem suam domino ita dederit, ut cum ea donator infeudetur; ista donatio domino non proderit, nisi eam proprietatem per annum et diem libere possideat. Peracto hoc spatio, eandem proprietatem in feudum conferre seivae potest, quia deinceps nec ipse donator, nec heres eius illud proprium sibi a modo poterunt in proprietatem vindicare.*

^{c)} Definiunt nonnulli naturalia per qualitates quae feudo inesse praesumuntur. Sed fatius est ideam superstruere principio, quam principiatio. BRAVN vom

uneigentlichen Lehn apud IENICHEM Thes. iur. feud. Tom. II. p. 784. putat dari tantum *accidentalibus* et *essentialibus* feudi, et sic concludit: *Quidquid leges iure feudi sancivnt, est necessarium, quidquid necessarium est, pertinet ad essentialiam feudi.* Ergo dantur *essentialibus*, eiusque *oppositum* sunt *accidentalibus* feudi. Sed negatur prior propositio. Etenim quae leges intuitu feudi statuunt, statuunt potissimum in favorem pacificentium, ideoque eos facultate ab hac dispositione recedendi non priuant. Nec altera propositio recte se habet, cum *essentia* feudi legibus non determinetur, quippe quae citra respectum legis feudo inest perpetuo.

C

tiones feudi, iure particulari curiae feudalis factas, ad naturalia feudorum eius curiae referre. Haec eadem sunt in feudis oblati, quam in datis, eademque offerens vel expresse agnouit ^{k)}, vel tacite approbasse praesumitur, propterea quod determinationes istae feudorum legales feudis insunt, et contrahentibus, tanquam communes feudorum rationes ^{l)}, placuisse praesumuntur, quoad aliud inter illos conuentum esse non probatur. Obtinent eadem hodiernum, licet eorum rationes praecipuae, in institutis feudorum antiquis, eorumque sine primario militiae agenda, mutato militiae statu hodie cessent: cum lex non valeat ob rationem legis, sed aliunde vim suam obtineat. *Accidentalibus* contra feudorum oblatorum, sunt qualitates eorum conuentione definitae, imprimis lege oblationis speciali. Oriuntur eadem ex immutatione naturalium, vel ex eorum speciali determinatione ^{m)}, ideoque probatione indigent ⁿ⁾.

§. XII.

^{k)} Ita Fridericus Comes Syluester curiam Breidenhus et villam Volmarishufenbach pro CCC. libr. hallenf. Archiepiscopo Treuirensi offerens in feudum ao. 1318, eadem hac lege recipit: *Que quidem bona dictus reuerendus pater suo et ecclesie sue Treuirensis nomine, in augmentum feudorum nostrorum, ab ipsa ecclesia Treuirensi descendantium, nobis reddidit, recipienda, tenenda et possidenda ab ipso reuerendo patre, suis successoribus et ecclesia Treuirensi per nos et heredes nostros legitimos dominos de Kirperch iure feodi, cum onere et seruicij, que vera feoda de consuetudine possulant et de iure.* Dnus de HONTHEIM c. I. Tom. II. p. 97.

^{l)} Vocantur naturalia communes feudorum rationes II. F. 2.

^{m)} Talis naturalium determinatio ratione seruitorum occurrit in diplomate, quo Comites Solmentes ex castro Hohenfolms faciunt feudum oblatum ao. 1323, sub verbis: *Insuper recognoscimus quod nos fidele nostrum seruitorium, nos Iohannes predictus cum octo, et nos Henricus cum quatuor galentis civis, et alias secundum consuetudinem Patrie equis et armis legaliter expeditis, pro tempore vite eiusdem Dni. Electi et nostre — tenentur impendere.* Exstant hae litterae apud DNVM. de GVDENVS Cod. Diplom. Tom. III. p. 205.

ⁿ⁾ II. F. 2. §. 2. 3. *Si vasallus per pactum speciale contra feudi naturam allegat, veluti de filiarum successione, licet ei tenorem, si potest, probare.* II. F. 3. §. vlt. I. F. 14. §. 2.

§. XII.

FEVDA OBLATA PROPRIA ESSE PRAESV-
MVNTVR.

Ex quibus sua sponte consequitur, *feuda oblata ad feuda propria pertinere*, quatenus eisdem insunt *naturalia feudorum*, iure feudali *communi*, vel saltem iure *curiae feudalis*, cui subsunt, determinata: nec ea esse *impropria*, nisi mutuo domini et vassalli consensu feudi *natura* sit immutata. Quoties itaque in *oblacione* et *infeudatione* nihil circa *naturalia* feudi *lege oblacionis* immutatum esse apparet, toties *naturalia* placuisse, ideoque et *feuda oblata propria* esse, *praesumuntur*. Ideoque feudum *improprium* esse contendens, probatione eius, quod contra *naturam* feudi, saltem eius *curiae feudalis*, immutatum esse allegat, defungi debet, propterea quod feudorum *accidentalibus* sint probanda. Quodsi vero *feudum oblatum* intuitu certae qualitatis naturalis *improprium* esse ex *lege oblacionis* constat, in ceteris omnibus, quae *conuentione*, seu *lege oblacionis* immutata non sunt, *communem* feudorum *naturam* seruat, cum eatenus *offerens naturalibus* feudorum se subiecerit, quatenus *conuentione*, seu *lege oblacionis* aliud sibi non est stipulatus ^o).

§. XIII.

NEC IMPROPRIA SVNT RATIONE CONSTITV-
TIONIS.

Sunt qui *feuda oblata* ratione *constitutionis impropria* existimant, quasi *feudum a domino non in re sua, sed in re aliena, et in re ipsius vassalli constituatur*, nec adeo *re vera beneficium sit*, quo *deficiente, proprium feudum deficeret* II. F. 23. ^p) Enim vero *feuda*
C 2 obla-

^o) HORN in Iurisp. feudali Cap. IV. §. 2. CHRIST. GOTTL. GVT-SCHMIDT dissert. de feudis omnibus iure priorum omni ex parte censuris, nisi mutatio rationis feudorum communis de-

monstratur. §. 3. HERTIVS de feud. obl. P. 2. §. 1. FLEISCHER instit. iur. feud. Cap. IV. §. 3. p. 91.

^p) In hac opinione sunt STRYK in examine iuris feudalis Cap. IV. quaest.

oblata ad analogiam feudorum datorum constitui, supra iam expo-
 fui: in *alodij* in feudum *oblacione* domino *plenum* eius dominium
 tribuitur, sub *conditione* vt *vasallum* eodem *infeudet*, idque *tra-*
ditione vera vel ficta ¹⁾, cum *omnis* *traditio* iuris *Germanici*, *sive*
vera, sive ficta sit, seu breui manu facta ²⁾, *sufficiat* ad *ius in re*
 in alterum *transferendum*, licet *naturalis possessio* *semper* *manse-*
rit *penes* *vasallum*. *Facta* *hac* *traditione* *dominus*, *sibi* *seruato*
dominio directo, *dominium utile* in *offerentem* *transfert*, sub *obli-*
gatione mutuae fidelitatis. *Neque* *sine* *hac* *traditione* *dominus*
dominium directum *acquirere* *et* *retinere*, *nec* *dominium utile* in
 nouum *vasallum* *per inuestituram* *transferre* *potest*. *Ex* *quo* *con-*
sequitur, *dominum* *non* *de re aliena*, *sed* *de re propria* *inuestire*
offerentem. *Nec* *in* *feudis* *oblatis* *omnis* *exulat* *beneficii* *ratio*,
 cum *ipsa* *inuestitura* *recipiat* *dominus offerentem* *tamquam* *vasal-*
lum *in* *protectionem* *et* *tutelam*: *et* *hanc* *obtinere*, *olim* *intererat*
vasalli, *quantum* *domini*, *habere* *plures* *vasallos*. *Ex* *quibus* *in-*
telligitur, *feuda* *oblata* *nec* *intuitu* *constitutionis* *haberi* *posse* *pro*
impropriis.

§. XIV.

17. et C. II. quaest. 16. WVRMSER
 de feudis impropriis Classe III. Sect. 3.
 VULTEIVS de feudis l. c. 9. num. 56.
 HVLEDERICVS ab EYBEN in scriptis
 quae de iure civili privato, publico, et
 feudali singulatim edidit p. 464. n. 5. in
 fin. THOMASIVS de feudis oblat.
 C. I. §. CXI.

1) Hanc sententiam tuentur HORN
 in Iurispr. feud. Cap. IV. §. 15. STRUV.
 Cap. 7. th. 10. n. 10. ibique allegati Au-
 ctiores.

2) Rei non satisfacit AVGVSTIN.
 de BALTHASAR de feudis oblat. Sect.
 III. §. XVI. p. 31. qui feuda oblata,
 siquidem ad Longobardorum consuetudi-
 nes respiciamus, esse impropria, ad mores
 contra Germaniae, quasi hi nulla alia fere
 agnoscant, eadem omnino propria dici

mereri existimat, adeoque falli eos, qui ad
 Longobardorum consuetudines respicien-
 ter, feuda oblata feudis ordinariis ac pro-
 priis annumerant, licet res a domino suo
 re vera tradita non sit, sed possessio man-
 serit penes vasallum. Nimirum tribuit
 moribus Germanorum, quod omnia
 feuda fere oblata esse existimet, quae
 omnino quoad originem in Germania
 data sunt, et ad horum analogiam ob-
 lata esse coeperunt. Perinde porro
 est, siue in analogica constitutione feudo-
 rum oblatorum respicias ad principia
 iuris Germanici, siue ad principia iuris
 Longobardici, inter se omnino conuen-
 nientia. Et ne iuri Longobardico qui-
 dem ignoratur ficta traditio, qualis in-
 teruenit in abstinia inuestitura H. F. 2.
 pr. II. F. 33. pr.

§. XIV.

IVS DOMINI AC VASALLI IN FEVDIS OBLATIS IDEM
AC IN DATIS.

Si generatim spectamus *feuda oblata*, ius domini in illis, nec non ius vasalli in iisdem *idem est* ac in *feudis datis*, nec illud *infirmius*, nec hoc *fortius* dici meretur, nisi *vi conventionis specialis*, vel *vi iuris particularis*. Quae enim *infeudationi in genere*, eadem *infeudationi, vi oblationis factae*, insunt, per eamque eadem iura domini et vasalli determinantur, nec eorum diuersitas aliunde quam ex *pacto* vel ex *iure particulari* deriuari potest. Ecquid interest, quod dominium directum origine sua a vasallo transierit ad dominum, prout obiicit THVMERMVT¹⁾: sufficit enim illud transiisse, nec quidquam iuris praecipui a vasallo reseruatum esse²⁾. Solebant *offerentes* ea *oblationis* formula uti, qua significabant, *rem oblatam in potestatem domini venisse, ut de ea quidquid placeret tamquam de proprio faceret*, eiusque ideo dominium plenum in dominum per *oblationem* translatum esse, quamquam sub modo *rem oblatam infeudandi*. In *litteris reuersalibus*, quibus Henricus de Helfenstein castrum Sporekenberg aliaque bona ecclesiae Treuirensi *oblata*, a. 1309. iure feudi se recepisse profitetur, factam *oblationem* ita exprimit³⁾: *Donatione irreuocabili inter viuos contulimus, donauimus, concessimus, conferimus, donamus, cedimus per presentes omne ius dominium et proprietatem, quod, vel que, nobis et nostris heredibus in dictis castro*

C 3

et

1) THVMERMVT cit. tr. *Krumfab* schließt niemand aus p. 76. n. 93.

2) In *litteris reuersalibus*, quibus Comites Solmenes castrum suum vi oblationis in feudum se recepisse recognoscunt ab ecclesia Moguntina, apud Dn. de GVDENVS Tom. III. p. 205. dominium directum in ecclesiam Moguntinam se transulisse declarant: — de-

bita solemnitate sponte renunciamus, et eidem Dno. Mathie et eccl. Mog. ipsum tradidimus, iure directi dominii perpetuo retinendum — Volentes proprietatem, siue directum dominium dicti castri, apud ipsum Dn. Mathiam eius successores et eccl. Mog. perpetuo remanere.

3) Dnus de HONTHEIM *historia Treuirensi diplomatica* Tom. II. p. 37.

et villa, seu appendiciis et bonis predictis competit, competit vel competere potest in futurum, aut poterit quoquo modo, in ipsum dominum Archiepiscopum suosque successores Archiepiscopos et ecclesiam Treuirensis, simpliciter et libere ac ex certa scientia, nihil iuris siue consuetudinis retinentes in eisdem. His peractis, Balduinus castrum sibi oblatum dicto Henrico tamquam feudum se reddidisse profitetur.

§. XV.

VASALLO NON COMPETIT IVS FEVDA OBLATA
ALIENANDI.

Si vero ius vasalli in feudo oblato idem, ac in feudo dato, nec potentius esse praesumendum est: certe nec vasallo competere potest ius feudum oblatum alienandi in extraneum sub inuestitura non comprehensum *), vel de eo testandi, nisi ius alienandi siue ex natura feudi alienabilis, id est talis, quod vi pacti in inuestitura adiecti alienari potest in extraneum sine speciali domini consensu; siue ex iure feudali particulari competat **), et ius testandi de eodem, vel ex lege inuestiturae seu oblationis **), vel ex consuetudine curiae a), vel ex natura feudi mere hereditarii appareat.

* Quodsi enim alienatio facta est in personam sub inuestitura comprehensam, subsit, licet infirio domino sit facta. I. F. 13. §. 3. II. F. 3. §. 1. Ius Caesar. art. 23. et 26. MEYVUS Parte VII. dec. 247. WERNHER obs. forens. Part. II. obs. 363. Verum haec alienatio inuvalida redditur, si vergit in praedictum successorum II. F. 8. §. 1. Vbi verba: Meliorem namque conditionem feudi facere potest; deterioerem vero sine domini voluntate, vel eorum agnatorum, ad quos per successionem pertinet, facere non potest II. F. 39. pr. Moneo, iure particulari nonnunquam, ut in hac alienatione, con-

sensum domini requiri, sed non sub poena. Vid. transactio publica Megapolitana de ao. 1755. §. 452. BERGER Elect. discepr. forens. p. 1236. SCHILTER Comment. ad ius feud. alienantium Cap. 26. §. 10.

*) II. F. 26. §. 23. II. F. 48. §. 2. ADOLPH SCHVBERTH de valida feudi absque domini consensu a vasallo facta alienatione. GERHARD de alienatione feudorum Silesiae.

2) CARPZOV. respons. Lib. VI. resp. 16.

a) Sic in Silesiacis feudis vasalli, heredes masculos habentes, quoddam tenent, in

reat^b). Pertinent ista ad *naturalia* feudorum, *iure feudali communi determinata*, quae placuisse in *feudis oblati praesumuntur*, nisi eadem mutata aut sublata esse ex ipsa *feudi oblati constitutione*, aut ex *iure particulari* curiae feudalis appareat. Ad significandum *iura communia* ratione *alienationis feudorum oblatorum* servata esse, id saepius in instrumentis, quae *oblationem* concernunt, *expresse* definitum est. In *litteris reuerfalibus* de bonis per Henricum de Erenberg ecclesiae Treuirensi oblati, receptisque in feudum ab eadem ao. 1327, promittit vasallus: *quod praefata bona, seu alia quae ab ecclesia Treuirensi tenemus vel habebimus, alii vel aliis in toto vel in parte non infeodabimus, nec alienabimus in futurum* c). Similia deprehenduntur in *litteris reuerfalibus* comitis Syluestris, quibus ao. 1318. bona oblata hoc pacto in feudum se recepisse dicit: — *quod nec nobis nec heredibus nostris praedictis dicta bona, siue alia, quae ab eadem ecclesia Treuirensi in feudum obtinemus, alii vel aliis in toto vel in parte infeodare, seu aliquo modo alienare licebit* d). Quod si vero feudum oblatum alienabile esse apparet, exercendum est hoc ius intra limites per *litteras inuestiturae*, et per *obseruantiam curiae feudalis* e),
et

in quibusdam ducatibus, disponendi arbitrium, quod neque feudi dominus, neque agnatus impedire aut renouari potest: ceu ait IAC. SCHICKEVSIVS in consuetud. Silesiae feudal. Cap. 17. §. 7. in LVNIGII corp. iur. feud. Tom. III. p. 468. Idem in feudis Austriacis constitutum est. De Brabantia egit FELTMANNVS Tr. de feudis C. III. §. 1. De feudis austriacis vid. LVNIG I c. Tom. II. p. 429. FRID. a SANDE de consuet. Geldriae Tit. 2. C. I.

b) HORN Iur. feud. C. XIV. §. 3. STRYK de cantel. testam. C. VI. membr. 1. §. 12. seqq. Sola vero improbitas feudi cuiusdam non efficit fa-

cultatem testandi, ut e. g. si feudum est hereditarium mixtum, francum, et quae sunt aliae improprietates.

c) Exstant litterae apud Dnum de GVDENVS Cod. Diplom. Tom. II. p. 1033.

d) Vid. Dnus de HONTHEIM l. c. Tom. II. p. 97.

e) Sic in Lusatiae feudis facultas alienandi vasallo datur in defectu liberorum, et praecuo experimento integritatis, quod vulgo vocant, *dem Vorrirt*: ita ut talis, *der noch einen Vorrirt thun können*, de feudo disponere possit. Vti in genere apud Germanos principium aderat, ut ille, qui pacto dispo-

et per naturam feudi constitutos f). Itaque absque consensu eorum, ad quos feudum vel ex *inuestitura maiorum*, vel ex *simultanea inuestitura* devolui potest, non valet alienatio feudi oblati, siue sit *generalis*, siue sit *specialis*, cum iure communi ratione exercitii adstricta sit ad consensum eorum, ad quos feudum vel ex *inuestitura maiorum*, vel ex *simultanea inuestitura* devolui potest. Eaedem fere rationes locum inveniunt si de facultate testandi quaeritur de feudo oblato. Iure communi enim interdictum est vasallo feudum per ultimam voluntatem in extraneum transferre sine domini permissione g). Vnde quaelibet ultimae voluntatis dispositio, quia feudum extraneo relinquitur, sine domini consensu illicita et nulla est, nisi vasallo facultas ex speciali ratione competat. Existimat quidem HVLDERICVS ab EYBEN b) in feudis oblatis alienandi ius esse vasalli ideo, quod ratione potestatis de re disponendi feuda oblata inclinent ad naturam rei allodialis: et adicit

WVRM-

disponere vellet de bonis suis, *musste können zu Wege und Stege geben*. WOLFFG. AD. de LEURNITZ de alienatione feudorum Lusatiae super. SAM. STRYK de feudis Lusatiae super. IO. PETER de LVDEWIG in differ. lur. feud. comm. et Lusat. differe. 16.

f) Hanc ob rationem feudi alienatio ineunda est salvo semper dominio directo, nec alia lege, quam qua ipse vasallus feudum habet, nec in alium, quam in feudorum capacem. WERNHER obs. forens. P. VII. obs. 467. Ceterum sub hac facultate alienandi, facultas testandi de feudo comprehensa non esse praesumitur; nisi et hanc datam esse appareat. Alienatio enim apud nos comprehendit translationem inter vivos, sub alienatione itaque non comprehenditur ultima voluntas. THOMASIVS de feudo alienabili §. 26. HORN lur. feud. Cap. XIV. §. 4. STRYK in caus. testam. c. 6. membr. 11. §. 12.

g) II. F. 55. pr. ibi: *vel pro animo iudicare sine permissione domini*. II. P. 9. §. 1. I. F. 8. ibi: *nulla ordinatione defuncti in feudo manente vel valente*. Haec verba, uti ex eorum nexu apparet, accipienda sunt de eiusmodi dispositione, qua ius succedendi aliis tribuitur, quam quibus ex inuestitura debetur, v. c. filiabus, de quibus ibidem agitur. IO. MELCH. de LVDOLF de iure primogeniturae Part. spec. §. 7. n. 7. p. 50. IO. GOTH. BAVER de vasallo exheredante §. 6. seqq. Si dispositio de feudo tales, qui sunt sub inuestitura comprehensi, respicit, eadem non est illicita, licet invalida sit eadem absque consensu eorum, quorum iuri succedendi praedictum infertur, nisi hi simul sine successores allodiales et feudales. HORN lur. feud. C. XIV. §. 3.

b) HVLDERICVS ab EYBEN Elea. feud. c. 3. §. 10.

WVRMSERVS ⁱ⁾ non eo intuitu nobiles res proprias in feudum offerre censeari, ut praecudicium sibi generari velint, sed ut abundantiori cautela sibi provideant. Sed quod ad EYBENII argumentum attinet, supra iam monui, feuda oblata ex iure allodiorum aestimari non posse. Argumentum vero a WVRMSERO propositum, solis praesumptionibus feudorum naturae contrariis innitur, quae eliduntur praesumptione iuris, quod ipsa allodii in feudum oblatione naturalia feudorum aequae ex parte domini ac ex parte vasalli placuisse praesumantur.

§. XVI.

AD SVCCESIONEM IN FEVDO OBLATO NON NISI
CAPACES VOCATI PRAESV-
MVNTVR.

Ex eadem praesumptione intelligitur, quod nec ad successionem in feudis oblati alii quam feudorum capaces vocati censeantur. Id enim fert natura feudi, de quo constituendo agitur, in allodii in feudum oblatione: nec in aliam sententiam abiisse praesumuntur contrahentes, donec de contraria eorum voluntate, vel de contraria curiae feudalis observantia appareat. Hinc nec in feudis oblati successionis capaces intelliguntur, quam qui capaces sunt militiae agendae, nec defectu animi, vel corporis, vel famae laborant, quos et mores Germaniae a feudis excluderunt. Frequentia exempla incapacium, ad successionem in feuda oblata admissorum, ostendunt quidem iis vel lege oblationis speciali, vel iure curiae frequenter prospectum esse; eadem vero in his feudis, in quibus ea de re nihil actum, nihilque iure curiae cautum deprehenditur, normam non constituunt.

§. XVII.

i) WVRMSERVS de feudis impropriis Classe III. n. 7. p. 283.

§. XVII.

FEMINARVM SVCCESIO IN FEVDIS OBLATIS NON
NISI EX SPECIALI RATIONE OB-
TINET.

Vi huius praesumptionis, qua feudorum capaces tantum ad successionem feudalem vocati censentur, in feudo oblato tantum succedunt masculi, et per masculos descendentes a primo acquirente ^{k)}, non vero feminae, et per feminas ab illo descendentes ^{l)}; nisi sexui debiliori per legem inuestiturae expresse, vel tacite iuxta obseruantiam specialem curiae feudalis prospectum esse appareat. De quo si nihil constat, feuda oblata praesumuntur masculina: cum non modo iure feudali Longobardico, sed et iure Germanico successio feudalis denegetur feminis ^{m)}. Itaque cum Conradus Episcopus Hildesienfis ao. 1248. in bonis sibi in feudum oblatis feminis nominatim prospiceret, quaestionem simul sublatam esse dicit, quae his ex iure communi moueri poterat. Documentum, ex apographo descriptum tale est: *Conradus Dei gracia Hildensemensis Episcopus omnibus hanc testimonialem literam intuentibus salutem in domino sempiternam. Scriptura authentica id circo conficitur, vt id quod rationabiliter actum est memoriter teneatur. Notum igitur sit omnibus modernis et posteris, quod dominus Steppo de Mandere de pleno consensu fratris sui Asehwini vicedomini Goslariensis, nec non et omnium beredum suorum, liberaliter donauit de proprietate sua.*

k) I. F. 1. §. 2. II. F. 31.

l) I. F. 1. §. 2. I. F. 8. II. F. 11. pr. Proles feminini sexus, vel ex femineo sexu descendens, ad huiusmodi successionem aspirare non potest, nisi eius conditionis sit feudum, vel eo pacto acquisitum. GOTTFRI. LVD. MENCEN de praesumptione feudi masculini §. 10. 12. in IENICHENII thes. iur. feud. Tom. II. p. 103.

m) I. F. 8. §. 2. II. F. 36. Ver. Au-
tor de benef. §. 4. I. F. A. C. I. §. 4.
I. F. S. art. 29. Ludov. Bavarus in
diplom. ad ao. 1317. in GE. IOAN-
NIS spicilegio tabularum p. 412. filias
nobiles de Breunberg prius habiles, idoneas
et capaces ad tenendum feudum declarat,
quam eas inuestit.

sua nobis et ecclesie nostre Hildensemensis septem et dimidium mansos in Mandere, et unum et dimidium mansum in Hauerlo sitos, et insuper omne ius quod eidem in ecclesia Mandere pertinebat, ita videlicet, quod filius suus Theodericus bona illa in feodo a nobis recepta debeat quiete toto vite sue tempore possidere. Quo in Christo defuncto, sorores sue, scilicet filie predicti Stepponis, succedent fratri in bonis superius memoratis omni questione sublata. Nos vero in huius donationis recompensacionem dabimus eidem Theoderico et sororibus suis tres libras in feodo postquam a Domino Wenero de Brade et illis de Lutterbergh et illis de Escherte fuerimus in prestandis feodis expediti. Testes vero huius facti sunt Conradus Marschallus, Ludolfus Camerarius, Borchardus de Lengbede, Hugo de Holtbusen, Willehelmus de Rosendale milites, Iohannes Cellerarius, Heydenricus Albertus de monte sereno, Henricus Daniel yconomi nostri clerici, Lyppoldus de Insula, Ecbertus filius Camerarii, Heino filius marschalli, Tidericus de Goslaria, Iohannes de Berle, Conradus de Emberke, Iordanus de Itenem, Gerhardus Capellarius, Berthramus de Beruelle, et alii quam plures. Ne autem de hiis que de hoc negotio facta sunt aliquid possit immutari, presentem cartam de hoc scriptam sigillo nostro et ecclesie nostre eciam fecimus roborari. Actum est hoc coram nobis apud Vorsatum Anno gracie M^o CC^o XL^o VIII. Idus Marcii pontificatus nostri anno XIX.

§. XVIII.

FEMINARVM SVCCESIO IN FEVDIS OBLATIS OBTINET VEL EX CONSVETVDINE CVRIAE, VEL EX SPECIALI PACTO.

Ad causas pactorum frequentium quibus feminis prospectum est, refero facultatem offerentis oblationi suae legem dicendi, qualitatem allodii, in quo feminis saltem in subsidium locus patebat, et facilitatem dominorum in iisdem admittendis: quibus

bus rebus effectum est, vt in nonnullis curiis feudalibus femininarum successio in consuetudinem abierit, qualis in feudis Monasteriensibusⁿ⁾, Fuldensibus, Iuliacensibus, aliisque curiis Westphaliae, non vna quidem ratione, obtinet^{o)}. Peracta est nonnunquam allodii oblatio a femina simul, et propterea feudum feminis simul constitutum. Ditherus dominus de Moylsberg, et Lyfa vxor eius, castrum proprium et liberum Molsberg Henrico Treuirorum Archiepiscopo ao. 1273. in feudum offerunt, hoc pacto adiecto: quod ego vxor mea et liberi mei siue masculini sexus siue feminini, nec non si liberi nobis non fuerint heredes mei proximiores viriisque sexus, qui pro tempore fuerint, idem castrum ab Archiepiscopo Treuirensi, qui pro tempore fuerit recipiemus in feudo et tenebimus, ita quod de eodem castro non valeamus exeredari^{r)}. Integrae posteritati utriusque sexus nonnunquam in lege oblationis consultum est. Sic Wiricus miles dominus de Wurnemberch castrum suum de Wurnemberch in feudum offert Dithero Archiepiscopo Treuirensi hac conuentionis lege, vt dictum castrum non debeat cadere de parentela mea, sed semper deuoluetur ad proximiores heredem meum siue masculini sexus fuerit, siue feminini^{q)}. Similis est formula in oblatione castri Somerauwe, facta 1303 domino Dythero Treuirorum Archiepiscopo: Et hoc est sciendum quod post me Henricus filius meus, et post eum senior proximior heres meus, siue masculini siue feminini sexus dictam domum siue castrum Somerauwe recipere debeant ab Archiepiscopo Treuirensi et tenere in feodo, sic quod dicta domus cadere non possit de parentela mea^{r)}. Comites Saynenses Eberhardus et Henricus castrum suum Sayne cum omnibus

n) De his vid. I. H. EOEHMERI, aui venerandi, *differt. de feud. ecclef. C. 4. §. 8.*

o) Vid. GE. MELCH. LVDOLFF *obs. forens. P. I. obs. 13. p. 44. obs. 109. p. 304.*

p) Vid. Dnus. de HONTHEIM *lit. r. Treuir. diplom. Tom. I. p. 302.*

q) De HONTHEIM c. 1. *Tom. II. p. 25.*

r) De HONTHEIM c. 1. *Tom. II. p. 19.*

nibus appertinentiis ecclesiae Treuirensi donant, et ab Hillino Archiepiscopo in feudum recipiunt ao. 1152. hac formula: *Cuiuscunque vero sexus heres successerit, eisi non propinquior, qui de eorum cognatione fuerit, idem castrum et prenommatum beneficium a nobis et successoribus nostris absque iure illo, quod vulgariter dicitur Heregewede, et illo quod dicitur Heresture recipiet, et eandem fidelitatem nobis et successoribus nostris faciet*). Quo factum est, ut, vi huius clausulae, cum ao. 1246. non relicta prole decederet Henricus comes Scyrensis, cognamento magnus, per eius sororem Adelheidem, Iohanni Sponheimio desponsatam, feudum castri Seyne in Sponheimianam comitum familiam translatum fuerit, quae illud ultra ducentos annos tenuit, donec haec stirps ao. 1606. in Henrico comite deficeret. Elegans est oblationis formula, qua ex qualitate bonorum allodialium ratio repetitur dispositionis in fauorem feminarum factae; cum Embricho de Lewenstein curiam suam in feudum offerret in hunc modum¹⁾: *Ego Embricho dictus de Lewenstein una cum Loderode collateralis mea ad notitiam vniuersorum presens scriptum intuentium cupio peruenire, quod curiam meam, in Manewilne sub Rondeckin sitam, agros, prata et omnia attinentia eiusdem curie resigno venerabili domino meo Archiepiscopo Treuirensi et ecclesie sue, ita videlicet quod omnia bona predicta ego et heredes mei titulo feudali habere dignoscimus pro sexaginta marcis Aquensium denariorum legalium. Nihilominus quod si ego predictus Embricho decedo, Loderadis uxor mea supra dicta possidebit in bonis prehabitis diebus vite sue pacifice et quiete, quia bona prefata sunt allodialia. Verba vltima exprimunt qualitatem anti- quam bonorum in feudum oblatorum, ex eaque ratio deducitur con- uentionis specialis, a iure communi recedentis.*

D 3

§. XIX.

¹⁾ Estat documentum apud Dn. de HONTHEIM l. c. Tom. I. p. 569.

²⁾ Apud HONTHEIMVM l. c. Tom. I. p. 318.

GENERALI FORMVLA HEREDVM IN FEVDIS OBLATIS
INTELLIGVNTVR MASCVLII.

Occurrunt saepius in *litteris oblationis* vel *infeudationis* vagae et indeterminatae locutiones, in commodum heredum factae, licet iisdem non definiatur qualitas heredum. Quo casu dubio decisio non aliter quam secundum iura feudorum *particularia*, et *consuetudines curiae*, si quae exstant, et in *subsidiū* secundum ius feudale *commune Longobardicum* est facienda. Pro *naturalibus* enim feudorum tamdiu militat *praesumptio*, donec vel *lege oblationis*, vel *certae curiae feudalis* aliud interuenisse probetur. Ad dubias formulas refero, quo *heredibus*, vel *successoribus* facta est *infeudatio* ^{u)}. Vtroque vocabulo utimur in *successione masculorum* aequae ac *feminarum*, vnde dubium est, vtrum sub hac voce *simul feminarum successioni in feudis oblati* sit prospectum

^{u)} Talis est formula in *litteris reuersalibus domini de Kempenich* de ao. 1227, apud *Dn. de HONTHEIM l. c. Tom. I. p. 303.* — nobis et nostris heredibus concessit in homagium perpetuum paterne liberalitatis affectu, de quibus nos et nostri heredes dicto domino nostro Archiepiscopo et suis successoribus Archiepiscopis Treuirensibus eivius ad fidelitatis debitum perpetuo adstricti. Nec non in *litteris Domini de Lapide* de ao. 1278 *ibid. Tom. I. p. 308.* — Quo facto dictum castrum eisdem fratribus reddidi et recommissi eisdem et eorum heredibus iure feudali perpetuo possidendum. Recte censet *HONTHEIMIVS*, in vtroque documento sub generali nomine *heredum* intelligi *masculos*. Similis est formula in documento apud *eundem l. c. p. 318.* et in *litteris reuersal. de a. 1284 ibid.*

p. 320. Sciendum est quod ego et heredes mei predicta debemus a predicto domino Archiepiscopo et successoribus suis in feudum et homagium in perpetuum possidere. Nec non in *litteris reuersalibus Godefridi Comitis de Vianden* de a. 1294. *ibid. p. 327.* que nos et nostri successores ab eo et eius successoribus, nec non ecclesia Treuirensi, in perpetuo in feudo tenebimus et recipemus. Et in *litteris Iohannis de Mailberg* de ao. 1292. apud *eundem Tom. I. p. 324.* Constituens per presentes uniuersa bona et redditus, que et quos in dictis villis habeo, ex nunc perpetuo feodaliter predicto domino Archiepiscopo et ecclesie Treuirensi, ac me et meos successores a predicto domino Archiepiscopo et ecclesie Treuirensi in feudo recipere debere et iure feudali tenere.

speculum, nec ne? Posterius asserendum esse ideo videtur, quod omnis feudorum successio in regula sit masculina, et pro hac praesumptio militet, et probatio contrarii ex verbis dubiis haud efficiatur. Quodsi vero in litteris oblationum, vel inuestiturae speciales rationes obueniunt, ob quas contrahentes utriusque sexus heredes intellexisse cenferi possint: pro iisdem merito facienda est interpretatio, cum in hac elocutione generali omnia redeant ad mentem contrahentium.

§. XX.

QVANDO SVB EA FEMINAE INTELLIGANTVR.?

Si oblationem allodii in feudum ex consensu heredum utriusque sexus nominatim factam esse apparet, ratio specialis interuenit, sub generali nomine heredum accipiendi etiam feminas, cum iidem heredes, qui in ineunda oblatione interuenerunt, in infeudatione allodii oblati designati esse praesumantur. Anno 1303. obtulit Iohannes de Adenoys quatuor mansos proprietatis Capitulo et Episcopo ecclesiae Hildensemensis cum consensu filiorum et filiarum suarum, et pro se et suis heredibus in feudum recepit. Videntur ibi filiae sub nomine heredum ad successionem vocatae, quod oblatio filiarum consensu facta esse dicatur. Verba chartae ex apographo descriptae sunt haec: Nos Iohannes nobilis dominus de Adenoys recognoscimus et digne protestamur, quod nos de benignitate exhibita, per venerabilem patrem Episcopum et Capitulum ecclesiae Hildensemensis, in proprietate quatuor in villa Wertzingehusen, nobis et nostris heredibus data, quos huc usque ab ecclesia in feudo tenuimus, non sufficimus regraciari; nos vero talis gratiae non immemores, ex hoc Hildensemensem ecclesiam matrem nostram condemnari, damnum pati recordantes, quatuor mansos in eadem villa sitos, nostrae proprietatis, cum consensu filiorum et filiarum nostrarum, cum omni iure et utilitate in restaurum praefatorum bonorum, ab ecclesia Hil-

Hildensemensi nos et nostros heredes in feodo recipere in perpetuum obligamus, et hoc sigillorum nostrorum munimine roboramus. Quia Iohannes filius noster sigillo proprio caruit, usus fuit nostro.

Testes huius sunt Ludolfus de Esscherte, Wichbrandus de Haleboldessen, Iohannes de Lembusen milites, et alii quam plures. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M^o CCC^o tercio, in capite aduentus domini.

§. XXI.

QVID SVB FORMVLA HEREDVM LEGITIMORVM ET VERORVM INTELLIGATVR.?

Minus dubiae sunt formulae litterarum inuestiturae quae legitimos heredes vel veros heredes expriment. Legitimi denotant heredes a lege ad successionem vocatos, quales secundum ius feudale commune sunt masculi, qui soli in litteris inuestiturae his verbis designati praesumuntur, nisi et feminas iure curiae pro legitimis haberi appareat. *Fridericus Comes Sylvester in litteris de ao. 1318. bona ab ecclesia Treuirensi in feudum sibi reddita esse profiteretur, possidenda per nos et heredes nostros legitimos dominos de Kirperch iure feodi cum onere et seruiciis, quae vera feoda de consuetudine postulant et de iure*).* Vera feoda de consuetudine postulant heredes masculos. Idem iudicium formandum est de formula, quae veros heredes, *wahre Lehn-Erben*, comprehendit: secundum materiam subiectam enim masculi habentur veri heredes feudi, iique soli tales iure feudali communi praesumuntur, quousque non interueniunt singulares rationes, ex quibus feminas etiam sub veris heredibus comprehendi intelligitur. Talem formulam ex curia feudali *Hildensemensi*, in qua obtinet ius feudale commune, exhibent litterae sequentes ex apographo descriptae: *Nos Asquinus, Henricus miles, et Tidericus famulus, fratres dicti de Walmeden presentibus recognoscimus, publice protestantes, quod nos,*

* Exstat diploma apud Du. de HONTHEIM c. l. Tom. II. p. 97.

et nostri veri heredes dedimus venerabili duo nostro Hildens. Episcopo, ob petitiones claustralium in Winhusen, proprietatem vnus mansi, scilicet iuxta castrum Lutere, ita videlicet, quod iam dictum mansum a Dno. nostro Episcopo recipiemus titulo feudali. Ne autem aliquis dubitet in re ista, presens scriptum sigillorum nostrorum munimine dedimus roboratum. Datum anno Dni M^o CCC^o quarto in vigilia Assumptionis beate Marie virginis. Simili ratione veris heredibus tantum in infeudatione bonorum oblatores prospectum esse legitur in alia charta ex apographa descripta de ao. 1304., quae huius est tenoris: Nos Tidericus Dei gracia prepositus in Winhusen, Margareta abbatisa, totumque collegium Christi virginum ibidem, omnibus presentia scripta visuris vel etiam audituris in vero salutari salutem. Ne ea que sunt in tempore simul cum lapsu temporis euanescent, sentent in lingua testium vel scripture testimonio perbennari. Notum igitur esse volumus vniuersis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris, quod dominus Asschwinus, miles, dictus de Walmede, et fratres sui, eorumque veri heredes, vnum mansum, in Lutere suum, et Dominus Fredericus miles, dictus de Bortfelde et fratres sui, eorumque veri heredes, vnum mansum in Gulsede suum, quarum proprietates ad ipsos cum omni iure et utilitate pertinebat, maiori ecclesie in Hildenshem ab omni impetitione liberos, ob salutem animarum suarum, in restaurum et subsidium duarum decimarum in Abbenhusen et Auerhusen, quorum proprietates ecclesia in Winhusen a prefata ecclesia in Hildenshem cum omni iure et utilitate comparauit, voluntate bona et consensu vnanimi contulerunt. Predicti vero milites cum suis veris heredibus eodem manso a sepedicta ecclesia in Hildenshem susceperunt iure feudali rationabiliter possidentes. Si vero hic rationabilis ordinatio quacunque emergente calumpnia ab aliquo successorum ausu temerario infringi fuerit attemptata, pro eo nostra stabit ecclesia prout iuris ordo dictauerit responsura. In cuius facti euident testimonium presens scriptum exinde confectum nostrorum sigillorum appensionibus duximus roborandum. Acta sunt hec anno incarnationis Domini M^o CCC^o Quarto in die sanctorum martirum Herenei et Habundi.

§. XXII.

QVAENAM VIS INSIT FORMVLAE ZU RECHTEN
MANN - LEHEN?

In dubium maxime in *feudis oblati* vocari coepit concessio *zu rechten Mann - Leben*, vel *Mannlebens - Erben facta*, ob *duplicem* quem seruat significatum. *Alter* est, qui ducitur a voce *Mann*, quae in genere denotat *vasallum* ¹⁾, eoque sensu *Mann - Gut* denotat *praedium feudale seruitiis militaribus obnoxium*, *das man zu Leben empfangen, verdienen, und vermennen, solle*. Ita accipitur vox in Diplomate Capituli Mind. de ao. 1304: *vox feudum, vulgariter Man - Ghot dicitur* ²⁾. *Alter significatus* est qui respicit *sexum*, feudumque designat *solis masculis* concessum. Ne *prior* quidem significatus vi vocis comprehendit *personas militiae* agenda *haud capaces*: licet ex eadem ratione, qua *feminis* saepe gratia facta est *feudorum*, de feudo, *feminis simul* concessio, nonnunquam vsurpetur: de quo exempla in medium profert THVM - MERMVT *tr. Krummstab schleust niemand aus p. 21. n. 34. et seqq.* Ut itaque is ad *feminas* transferatur, *singulares* interuenire oportet rationes. *Posterior* significatus vsu loquendi magis comprobatur, et *naturae* feudorum quae et in *Germania masculos vasallos* postulat, et *qualitati* praestandorum *seruitorum militarium* conueniens est, ideoque in *regula* sequendus in interpretatione *literarum inuestiturae*. Ex vsu seculi XIV. eundem illustrant litterae *Henrici Archiepiscopi Moguntini* de ao. 1342. ³⁾, in quibus vocatur *feudum vasallatus*, quod *ein Manleben vulgariter dicitur*, ad *nostram dispositionem per mortem quondam Gisilberti deuolutum*. Specialius adhuc determinatur is significatus proprius per adiectionem vocabuli *recht*, vel *wahr*, *zu rechten wahren Mann - Leben*. Solemus tribuere hanc expressionem actionibus, quibus eas qualitates inesse dici-

1) HALTAVS in gl. Germ. p. 1307.

2) In *manissa docum.* ad SCHEID. *Tom. III. p. 321.*3) *tr. vom Adel p. 239.*

a) Apud Dn. de GYDENVS l. c.

dicimus, quae eorundem naturae respondent. Ita *feuda propria* feuda *recta* dicuntur, cum *propriam* et *rectam* per omnia obtinent feudorum naturam: ideoque et eadem formula, nisi aliud ex *litteris inuestiturae* vel ex *usu curiae* appareat, *feudum masculinum* significat ^{b)}. Exponit nobis vim ac potestatem formulae huc usque in hoc paragrapho expositae Vir illustris GEORG. LVDOV. BOEHMERVS, *patruus ad cineres mihi colendus*, in *responsio feudali* his primitiis adiecto; quo omnia, quae adhuc circa interpretationem et explicationem dubiae istius formulae monenda fuissent, docte proponuntur et explicantur. Exhibet nobis vir illustris easdem interpretationis regulas, quas in hoc paragrapho proponere studuimus.

§. XXIII.

FEVDA OBLATA FEMININA PRAESVMVNTVR SUCCESSIVA, NON PROMISCVA.

Si vero *feuda oblata* ex *speciali ratione* sunt *feminina*, nec tamen *feminarum successio* conuentione definita est: sequendus est primum *ordo succedendi iure curiae feudalis* definitus, quo *deficiente*, *feminae non prius quam deficientibus masculis descendantibus ad successionem vocatae praesumuntur*. Hoc enim conuenit naturae *successionis feudalis*, qua *feminae*, quibus *pacto prospectum* est, *extincto stemmate masculino* demum ad *successionem* vocantur, non vero *promiscue* cum *prole masculina* succedunt ^{c)}. *Feudum oblatum femininum* ergo tamdiu *successuum praesumitur*, donec *ius promiscuum* femi-

E 2

^{b)} GOEDDEVS Vol. IV. Conf. 37. n. 744: SCHILTER ad *lus feudale Alemannicum* C. 43. §. 6.

^{c)} H. F. 17. pr. Non enim patet locus *feminae* in *feudi successione* donec *masculus* superest ex eo, qui *primus* de hoc *feudo* fuerit *inuestitus*. I. F. 6. §. 1. I. F. 2. §. 2. *Filia* non *succedit* in *feudo*, nisi *inuestitura* fuerit *facta* in *patre*

ut *fili* et *filiae* *succedant* in *feudum*, tunc enim *succedit* *filia*, *filii* non *extrantibus*. GABRIEL SCHWEDER de *feminarum* cum *masculis* *concurrentium* *exclusionem* in *feudo*. TOB IAC. REINHARTH *obs. ad Christianaei decis.* Vol. 1. *obs.* 60. p. 160. WERNHER *obs. for.* P. II. *obs.* 190. P. VII. *obs.* 230. STRYK de *feudo* *masculis* et *fem.* *concesso*. C. II.

feminis datum esse vel ex lege curiae, vel ex lege oblationis appareat. Ita definiunt Comites Solmenses successionem, cum castrum Hohensolms faciunt feudum oblatum ao. 1323. — *ut si forte nos sine heredibus masculis decedere contingeret, filia vel filiahus relictis, huiusmodi filia seu filie debent succedere in feodis prelibatis*^{d)}. Obtinere haec etiam in feudis pro masculis et feminis indefinite datis, *Söbn — und Töchter Lehn*, cum haec verba indefinite talem exigant interpretationem, quae iuri communi respondet, quod feminae locum non facit in feudi successione donec masculus superest a primo acquirente. Feudo tandem ad feminam deuoluto, successio feminarum permanet subsidiaria inter illius descendentes, inter quos nec feminis in successione patet locus, quousque inter eos superest masculus. Ceterum varia ratione saepe lege oblationis definitam esse successionem feminarum, docent feudorum oblatorum exempla, ex quibus vel vnum adferre iuuat quo Iohannes Comes de Sponheim in Starckenberg 1338 magnam ditionum suarum partem Baldewino Treuirensi Archiepiscopo oblatam in feudum recipit his verbis: — *bona et villas — praenotatas cum omnibus iuribus et pertinentiis praetactis recepimus et recipimus, ac nos recepisse recognouimus in feudum a praefato domino nostro Archiepiscopo nomine quo supra cum onere fidelitatis, iuramentis et seruitiis in talibus feudis debitis de consuetudine et de iure recipere, et tenere debebunt dictum castrum, et bona caetera supra dicta post obitum nostrum haeredes nostri legitimi masculi, quibus deficientibus saemellae his deficientibus fratres nostri Henricus et Godfridus cum liberis suis vtriusque sexus, quibus non extantibus Blanzstorie comitissa de Veldentia amita mei Ioannis Comitis praedicti cum suis liberis vtriusque sexus a praefato domino nostro suisque successoribus Archiepiscopis Treuirensibus in feudum perpetuo ut est dictum e).*

§. XXIV.

^{d)} Dn. de GVDENVS Cod. Diplom. Tom. III. p. 205.

^{e)} Vid. 10. DAN. SCHOEFFELINI Bistop. Zaringo Badens. Tom. VII. p. 333.

seqq. ut etiam HENRICI CHRIST. SENCKENBERGII Select. iur. et hist. tom. VI. p. 465.

§. XXIV.

SVCCSSIONIS RATIO IN FEVDIS OBLATIS.

Iura *successionum* in *feudis oblati* eadem sunt ac in *datis*, cum *idem* in *illis* ac in *his* interueniat *successionis* fundamentum, quod positum est in *inuestitura*, vi *oblationis* facta, *pactisue* huic adiectis, et quod fauet tantum *primi offerentis* *descendentibus*. Exprimunt illud tum *litterae inuestiturae*, quae *feudum offerenti* eiusque *heredibus legitimis* constitutum esse significant, tum *litterae reuersales*, quibus *offerentes pro se suisque* *descendentibus* *feudum* recepisse agnoscunt. Quoad ergo *successio* *conuentione speciali* non est definita, in hac iura *curiae feudalis*, a qua *feudum* pendet, et ubi haec deficiunt, ius *feudale commune* *normam* *successionis* tribuunt. In *antiqua* vero, quae in *allodiis* obtinuit *succedendi ratione*, nec non in *facultate offerentium legem* *suae oblationi dicendi*, non nisi *origines* colloco tum *iurium specialium*, quibus *agnatis offerentis* prospectum, et bona saepe sub *iure feudi antiqui* in *feudum* concessa sunt, tum *iurium consuetudinumque particularium*, quae in *curiis feudalibus* obtinent. Si vero nec ex *lege oblationis*, nec ex *iure curiae* apparet, *agnatis primi offerentis* prospectum esse: idoneum deficit *successionis* eorum fundamentum. Eadem *praesumptio* in *feudis oblati* militat pro *ordine successionis legitimo*: quamquam in amplissima, quam *oblatio* suggerebat, *pariscendi* occasione actum saepe fit *de ordine succedendi speciali*, talemque *conuentione* definire placuerit, qui ad *feudi diuisionem* inter *posterios* impediendam et ad *familiae splendorem* conseruandum pertinebat. Sic *maioratus* rationem habet *ordo succedendi*, quem *Wabramus* in *oblatione castri sui Somerauwe* in *litteris reuersalibus* de ao. 1303 ita definitum esse agnoscit. — Et hoc est sciendum quod post me *Heuricus filius meus*, et post eum *senior proximor heres meus* *sue masculini* *sue feminini* *sexus dictam domum* *sue castrum Somerauwe* recipere debeat ab *Archiepiscopo Treuirensi* et tenere in *feodo* sic.

quod dicta domus mea cadere non possit de parentela mea f). Pari ratione in castro Sporckenberg, ecclesiae Treuirensi ab Henrico de Helfenstein in feudum oblato ao. 1309, placuit ordo succedendi ex primogenitura, quo exemplo vix antiquius extat iuris primogeniturae in feudis introducti. Ita videlicet facta est inuestitura: Nos autem Baldwinus predictus attentis gratis obsequiis et seruiciis, que ipse Henricus nobis et ecclesie Treuirensi impendit, et impendere potest, castrum, villam cum appendiciis, bonis et redditibus antedictis eidem Henrico suisque successoribus primogenitis concessimus et concedimus in feudum tenenda et possidenda a nobis, et ecclesia Treuirensi, nostrisque successoribus in perpetuum, pacifice et quiete — Hoc etiam adiecto, — quod ipsum castrum, villa cum appendiciis eorundem inter heredes ipsius Henrici siue successorum suorum diuidi non possit, nec debeat, sed semper primogenitus masculus in recta linea ipsius Henrici, absque diuisione aliqua facienda, prescietur ipsum castro, et succedat in eodem cum villa et appendiciis memoratis; ac nobis etiam idem Henricus siueque successores primogeniti ac successoribus nostris ac ecclesie Treuirensi seruire, sicut ius est et ab aliis fidelibus nostris consuetum est teneantur. Si vero coningeret, quod possidens dictum castrum sine herede decedat, bonis suis aliis a predictis indiuisis inter fratres suos, si quos habuerit ex parte patris antiquior dictorum fratrum succedat in dicto castro; si vero sine herede proprii corporis vel bonis diuisis, ut dictum est, moriatur, ad Archiepiscopum Treuirensis, qui fuerit pro tempore, castrum memoratum, et ad ecclesiam Treuirensis reuertatur g).

§. XXV.

SERVITIORVM MILITARIVM RATIO IN FEVDIS
OBLATIS.

Etiamsi vero in inuestitura feudorum oblato nulla deprehendatur mentio seruitiorum militarium, feuda oblata nobilia tamen

f) Dn. de HONTHEIM c. I. Tom. II. p. 19.

g) De HONTHEIM c. I. Tom. II. p. 37.

men iisdem obnoxia esse praesumuntur, cum pertineant ad naturam feudorum: nisi immunitatem a seruitiis impetratam esse appareat. Sed ipsa seruitiorum causa materiam frequentem paciscendi dedit offerentibus, indeque effectum est, ut immunitatem a seruitiis militaribus sibi stipulati sint, bonaque oblata receperint in feudum francum^{b)}. Quamquam vero tale feudum ratione seruitiorum improprium sit: in reliquis tamen seruat naturam feudorum, propterea quod naturalia, quoad non sunt immutata, placuisse praesumanturⁱ⁾.

§. XXVI.

FEVDA OBLATA PRAESUMVNTVR LIGIA. QUID INTERTSIT INTER FEVDVM LIGIVM ET CASTRVM LIGIVM?

Cum vasallus domino aduersus quemcunque, praeterquam aduersus Imperatorem, seruire teneatur, ut ex II. F. 7. constat, si nemo speciali conuentione est exceptus: idem quoque in feudis oblatis regulam constituit, donec ex lege oblationis appareat, aduersus quos seruire non teneatur vasallus. Quam ob causam feuda oblata praesumuntur ligia, seu seruitiis aduersus quemcunque obnoxia: ut vero pro non ligiis habeantur, ex lege inuestiturae constare oportet de personis exceptis aduersus quas ipsi vasallo non sit seruendum. Obseruare hoc loco iuuabit, in aestimandis feudis ligiis vel non ligiis cautionem esse adhibendam, cum dentur castra in feudum oblata, quae alio sensu ligia appellantur, quod videlicet domino aperta esse debent in ipsius defensionem. Sic pacto feudum non ligium sibi constituerunt Comites Solmenfes in oblatione castrorum proprii Hobenselms, facta Archiepiscopo et ecclesiae Moguntinae a. 1323. cum sibi stipularentur ne contra Syfridum Comitem de Witchenstein

b) Recenset speciales modos acquirendi immunitatem a seruitiis militaribus SAM. STRYK de immunitate a seruitiis militaribus,

i) HERM. RICH. POLLMANN de feudo franco §. 37. CASP. HENRICVS HORN de feudo franco. §. 13.

obenstein et Hartradum de Merenberg seruire tenerentur: — Quodque idem de ipso castro, et per ipsum castrum contra quascunque personas, cuiuscunque dignitatis, status, seu conditionis existant, et specialiter contra Dn. Lantrauium Hassie, se iuuare et defendere poterunt et debebunt; nobilibus dominis Syfrido comite de Wuchenstein et Hartrado de Merenberg duntaxat exceptis. Sed in iisdem litteris additur: vt castrum Hohenfolms debeat esse domus aperta atque ligia, vulgariter dicta ein offen ledig Hus Dni Archiepiscopi, eius successorum, et ecclesie Moguntine. Qua formula seductus Dnus de GVDENVS dictum feudum feudis ligiis annumerauit ^{k)}: quod tamen non ligium esse ex personis in inuestitura intuitu militarium seruitiorum exceptis intelligitur. Domus videlicet aperta et ligia feudum aperturæ, neutiquam feudum ligium significat; siquidem hæc formula explicatur ab ipsis contrahentibus per verba quod vulgariter dicitur ein offen ledig Hus, id est domus ad defensionem patens seu aperta domino, et vacans semper ad domini defensionem, quo sensu vocatur ligia, ledig Haus. Vox ledig enim, vnde descendit monente WACHTERO in glossario germanico ^{l)}, sæpe denotat omne id, quod vacat, seu vacuum est ^{m)}. Est ceteroquin frequens formula in feudis aperturæ: und soll dem Lehn Herren ein offen Haus seyn ⁿ⁾, vel castellum debet esse apertum domino in necessitatibus, in accessibus et egressibus ^{o)}, quæ idem exprimit ac offen ledig Haus. Simile exemplum est quo Dominus de Wurnemberch ao. 1304. d. XXIV. Iun. offert castrum suum proprium Wurnemberch Dythero Archiepiscopo, et ecclesie Treuirensi hac lege, vt castrum debeat esse ligium castrum Archiepiscopatatus Treuirensis. Verba litterarum hæc sunt: Ego Wiricus miles

^{k)} Vid. de GVDENVS Cod. Dipl. Tom. III. p. 205.

